

*Dei*, quia est titulorum diversitas, & quidam sunt tales, qui ipsi soli tantum competunt, ut hic quoque quando nominatur caput, quod tantum est in uno corpore unum: quidam verò, ut lux mundi, servatores, ovis &c. ipsi primario principaliter ac per se, ministris verbi secundario ac per aliud, nempe verbum Dei prædicatum, meritum morte partum dispensatum, dari possunt, sicut uxor coruscat viri radijs & multos titulos habet communes, non tamen omnes.

Titulorum  
Christi di-  
versitas.

III. Ascendent è terra hac] Propheta agit de illis, qui in rejectione & abductione in captivitatem non dicebantur populus Dei vers. 10. ideoque hoc loco iterum promittit, fore, ut quum jam per Christum iterum sunt recepti in numerum filiorum, ascendant ex illà terrâ & reducantur in veteri Testamento corporaliter, in Novo spiritualiter, sicut alibi prolixius est declaratum.

Judeorū  
restitutio.

## CAPUT SECUNDUM.

### Argumentum.

**P**ostquam superiori capite populi Israelitici impietas, quâ à Deo aversus, erat pollutus, & Dei benignitas, quâ eum ad Ecclesiæ Novi Testamenti communionem vocatum iri promittit, satis est depicta, nunc iste sollicitè monetur, ut tempus illud gratiæ bene collocet, per seriam pœnitentiam ad Deum se convertens, quod ut tantò rectius ac facilius fiat, primùm calamitates & judicia à Deo jam decreta & certò inferenda recensentur, ut illorum acerbitate per-motus salutis suæ consulat: deinde quia hac non successerat,

Samana;

1.

2.

H

Evan-